

xxii P R A E F A T I O

tura, de numeris et figuris, eleganter scripturos iuuare potest, Phaedrum, Terentium, Nepotem, Caesarem, Sallustium, Liuium, Virgilium, Quidium, Ciceronisque Epistolas et Orationes aliquot legisse? quod quidem etiam Grammaticorum Criticorumque multorum exempla declarant, qui, cum de rebus grammaticis, criticis, historicis, eleganter scribant, de rebus philosophicis, aut mathematicis, scribentes, nihil, quod placere possit, afferunt; id quod ex eo tempore inualuisse arbitror, quo huius generis homines quidam coeperunt ab arte sua Philosophiam et Mathesin seiungere, et omne studium suum ad poetas, oratores historicosque, neglectis de Philosophia et Mathesi veterum libris, conferre. Itaque melius haud dubie isti aetati ad hanc facultatem consulerent scholarum magistri, si praeter eos, quos diximus, in primis philosophicos Ciceronis libros, item Columellam, et Plinium maiorem, aut delectos ex iis locos insigniores, explicarent, ad legendumque proponerent. Itaque etiam hoc nomine Cel. Gesneri et Heusei labores, quos ille Chrestomathiae Ciceronianae ac Plinianae conficienda, hic autem feligendis veterum locis, de rebus ad Theologiam naturalem et doctrinam morum pertinentibus, impendit, grati esse et iucundi debent iis, qui aut ipsi ad hanc polite disserendi facultatem adspirant, aut ad eam alios cupiunt adducere.

Nam